



2b. 15



18
LACRUMÆ

PRUTENICÆ

Super

Inopinatum ex hac vita in cœ-
lestem Patriam discessum.

Ornatiss. & Doctiss. Juvenis,

DN. ANDRÆ RODE,

Elbing. Boruss. LL. Studiosi,

Qui

PROH DOLOR!

Itu fulminis Graviore trajectus

placide obdormivis

in ipso atatis flore

Prid. Id. Jun.

A N N I

∞ 15 C XXII.

Luctus testandi ergo

effusa

A

DEFUNCTI

CONVICTORIBUS ET CIVIBUS.

*N*Os miseri; quibus unde dies suprema, quis avi
Exitus incertum: quibus instet fulmen ab astris,
qua nubes fatale sonent. *Papin. II. Silvar. I. v. 224.*

Literis

Hartmannianis.

EPICEDIUM.

O Quis concipiat lacrimas, quas flumine largo
 Emittere oculi? gemitus, suspiria, fletus
 Quis numeret fusos *Andreas* ob tristia fata?
 Illius, qui non plus flebilis occidit ulli,
 Quàm mihi, cum reliquis qui sum relictus amicis.
 Fortè adgramineos spatari mens fuit agros,
 Cùm subito ingenti cœlum tonat omne fragore,
 Et pluvialis aquæ humor tecta subire coegit.
 Huc ubi cum reliquis *Andreas* cessit amicis
 Ecce iterumq; iterumq; polo fragor intonat ingēs,
 Atq; ruunt sævi per tectum fulminis ignes.
 Heu dolor! *Andreas* trajectus! & occidit eheu
Rodius! & subitâ vitam pro morte reliquit.
 Ut rosa verna virens quando Sol aspicit ortum,
 Flore suo gestit, mox quando lumina vesper
 Accendit, pulcrum miserè deperdit honorem.
 Taliter *Andreas* Phœbo ex oriente virebat,
 Solis ad occasum nullus velut umbra jacebat.
 Scilicet in mundo nil omni ex parte beatum est:
 Et quotquot dias sunt nati in luminis auras
 Tristia coguntur tremebundæ mortis adire
 Funera, mancipio nam nulli, ast omnibus usu
 Vita datur; Quare lacrumis & fletibus ora
 Sit fœdare modus, Quod fors & fata tulerunt,
 Non fas mutari, *manet immutabile Fatum.*

Joannes Jungschultz, Elbinga-Boruss

O D E

Dicolos Tetraastrophos.

E Heu sic igitur tam miserabile
 Fatū ac anxietas nos homines manet,

Ut

Ut nec nostra fides nec pietas queat
Mortis pellere spicula?

Ah quantum licuit Tartareis Diis,
Ah vis est stygiis quanta Sororibus
Grassandique furor, quæ violentia
Parcæ parcere nesciæ!

Vitam qui stabilem ducere visus est
En mox ante diem ceu rola candida
Claudens fata cadit nec bene vivere
RODE exorsus obit diem.

Vitam dignus erat ducere Nestoris:
Ast ecce in viridi flore subit necem,
Cum jam vix quatuor lustra peregerat
Non vanæ Juvenis spei
Nimirum superum non = superabilis
Lex hoc Terrigenis attulit omnibus,
Ut nil morte habeant certius, illius
Hora incertius at nihil.

Michaël Helßingk, Elb. Boruff.

O *Carum pectus! sed cordifragus singultus
Vocem interrumpit.
O pectus carum! Et quantò mibi carior olim,
Tantò hac sorte tuâ nunc mibi flebilior!
Flebilior? fletu Et lacrymarum largior imbre,
Alto celatum quem premo corde, dolor,
O te utinam aut aliâ sublatum morte viderem!
Aut in conspectu non cecidisse meo!
Esse aliquod posset tum fors solamen amicum,
Lugenti amissum conditio una hominum:
Ut denascantur, quos nasci contigit, omnes,
Serius an citiùs quem sua fata vocent.*

A 2

At

At nunc quando meis velut in complexibus haerens
Tàm subitâ & tristi morte peremptus obis.
Quem finem met amq; putes me posse dolori
Figere? quem lacrymis ponere posse modum?
Quisquid sperasset sequius, qui vidit eadem
Horâ & momento (ô vitam hominum fragil(m))
Te vivum, & vegeto qui vidit corpore sanum,
Et dantem praesaga omina nulla mali?
Quis non sperasset solem te posse cadentem?
Quis non, te multos posse videre dies?
Ast aliter visum huic cuius vitaq; necisq;
Qui fatalem horam banc esse tibi voluit,
Eloquar? horresco & quoties rem mente revolvo,
Frigida concutiens occupat ossa tremor.
Spargebat radios nitidos Sol, atq; serenâ
Tum nos in virides fronte vocabat agros.
Ponimus in molli fessa hic dum gramine membra
Atq; vago flores carpimus ungue novos.
Coguntur nubes, coelum nigrescit, & imber
Ingruit, ac celeres tecta subire jubet.
Hic vario terimus tempus sermone sedentes,
Frons caelo ut redeat pristina quisq; vovet.
Cum subito ingenti caelum intonat omne fragore
Ac si concussa haec machina corrueret.
Contremuit domus ipsa, metu percellimur omnes,
Pallent ora, pavent pectora, membra rigent.
Attoniti haeremus? sonitu cum fulmen ad actum
Horricrepto propius terruit exanimes.
Collucent ades flammis quâ parte sedemus,
Non nisi mors cunctis certa erat ante oculos.
Ni Dominus medio salvos servasset in igni
(Gratia sat grato ô non celebranda animo:)

Te solum, infantemq, insontem, fata petebant
In te turbido edax impete flamma ruit!
Concidis ex animis, subito calor ossa reliquit,
Expiratq, omnis vita animaq, vigor.
O mira & nunquam per vestiganda Jéhoa
Judicia!

Si quos nulla Dei pietatis curave tangit
Qui numen nullâ religionem colunt;
Fulmina in hos summi torqueret dextera Regis
Hec justis meritò vindicis ira foret.

Tam sanctum ac caput (ô imper scutabile fatum)
Tamq, pium, casu occumbere tam horribili!
Quis non miretur! stupeat! nam sensibus isthas
Rimari humanis abdita nemo potest.

Nimirum, dignum cœlestis premia vita
Te solum invenit, cui daret ampla, Deus.
At hos quos vidit nondum satis esse paratos
Vero viventes absq, timore Dei.

Exemplo hoc monitos voluit, ceu voce tonante
Cœlitus, ad frugem quò rediisse velint.
Nam dubitet quisquam ut Thesbites igne corusco
Curru subvectus corpore ad astra fuit.

Angelicam mediis sic descendisse cohortem
In flammis, quæ animam ferret ad astra piam?
Tutu igitur gaudes cœlesti sede receptus,
Nulla ubi te lacryma, nulla pericla manent.

At vos securi qui vivitis hæctenus, atq,
Laxatis carni libera frena male.
Discite terribilem revereri Numinis iram,
Discite divina haud spernere judicia.

Da sic nos omni Deus horâ vivere, tanquam
Hora omnis nobis hora suprema foret.

Johannes Mylius, Elbing, Boruf.

MOs erat antiquis Pœnis passivus & Indis
Ut quoties Reges in apertum forsitan ibant,
Circumferretur crux & Vas gramine plenū.
Non opus esse putes operoso more, quid? horâ
Quavis est præstò crux, & nos graminis instar
Exorimur morimurq;, nec est qui tollere mortem
Edoctus fuerit, quamvis protollere possit.
Respicias ceu gramen, agro quod ridet, in ictu
Ictu oculi tactum de fulminis interit ictu;
Sic obiit juvenis nulli pietate secundus:
Cui pudor, incorrupta fides, cui mentis acumen.
Quid pietas, pudor atque fides quid mentis acumē?
Scilicet ad vitam non hanc fabricare: sed illam,
Hâc vero vitâ, si sis pius, ibis ad illam.
Qui pius ergo perit, nunquam perit: Omnibus una
Conculcanda via est: an siccâ morte vel udâ
Noverit is tantum, qui singula & omnia novit.

*Matthias Paris à Manteuffel,
Nob. Megapol.*

Occidit Andréas in primâ Rode juventâ,
Parca ut vix quatuor lustra videre dedit.
Non hunc pestis atrox non seva duella tulerunt,
Sed summi in cœlis dextera sancta Dei.
In pietate sua consumpsit tempora vite,
Vivens in castris, Turba novena, tuis.
Livide ne dentem depromas Mome caninum
In sic perpeffum tristia fata necis:
Unum opus est CHRISTO vel longo poscere morbo
Vel subito casu quos amat ipse, suos.

Quippe

*Quippe ita qui in teneris juvenliter occidit annis
In Christi tradens fata suprema manum:
Non hic bella timet non quicquid sortis iniqua est,
Sed capit in Christi gaudia lata sinu.
Vos ergo, Andreas queis flebilis occidit, ora
Parcite flebilibus vestra rigare modis:
Sede sed et herea civem gaudete receptum
Vestras inq; eadem regna parate vias.*

Matthias Richter, Fraust.

Fulmine Vah! Cecidit sine Vulnere, Flumine dio
Flamine quiq; stetit, dum supera aura fuit.
Scilicet hic cecidit justus, Contagio Turbae
Impia sacrilegae quo magè justa foret:
Mors Viadrina tulit, Vah! Luctifono ululatu,
Munere quem lato Prussica Terra tulit:
Què sacrata Themis, quem Sanctus Apollo fovebat
Quemque sacrae Charites, mors inopina tulit:
Gnatum Parentem, solamen utrique Parentum,
Flamine Victurum, fulmine qui periit.
Exulet ergo procul Fatorum censor iniquus
Impietate pium qui cecidisse putat.

Henricus Strobant, Thoruno - Borussus.

AD
DEFUNCTVM

Ode

Tricolos Tetrastrophos.

Vixti Minerva nuper idoneus,
Et militasti non sine gloria:
Nunc castra, defunctumq; vita
Ingenium in superis habebis.

Illic

*Illic beatis Manibus est locus,
Illic fruuntur colloquio Dei,
Illic perenni è flumine vita abit,
Non refecanda necis timore.*

*O qui supremum CHRISTE tenes polum, &
Arces carentes interitu suo
JESU, beatas Nosq, ad aedes
Post obitum necis arrogato.*

*Joachimus Wendlandt, Mariæburg-
Borussus.*

Consolatur Dominos Cives.

U Nanimi Cives, rapti qui Cive doletis,
Et desiderio flent pia corda pio.
Cessate ah lacrymis deplangere sede receptum
Æthereà, vestros non cupit ille sonos.
Illic optatam juvenili tempore metam
Nactus, habet læto gaudia mille animo,
Cœlestesque animas inter sanctamque catervam,
Aspectu fruitur colloquioque Dei.
Vos heic in terris horrenda pericula turbant,
Vos morbi terrent, Vos fera bella manent:
Omnia devicit pulcro certamine vester
Omnia devicit RODE pericla necis!
Unanimi Cives rapti qui Cive doletis,
Cessate ah lachrymarum imbre rigare genas:
Cessate, & vestram pariter quoque vivite vitam,
Ut maneant summi Vos sacra tecta poli.

Johannes Engelke, Mariæburg-Borussus.

* *
* *



SE Q V U N T V R
E P I C E D I A R E L I Q U O -
R U M D N N : S Y M P A T R I O -
T A R U M .

DUm RODIO injustæ ruperunt stamina Parcæ,
Feceruntq; ipsum dicere Fata VALE.
Iuppiter ex alto torquebat nubibus imbres,
In terram largis decidit imber aquis.
Nempe Minerva, Deæ Charites & magnus Apollo
Fœdabant lacrumis ora sacrata suis,
Ablatumq; sibi crudelis funere Mortæ
Deflebant pullum, Turba Novena, tuum.
Nec minus & Nobis maduerunt fletibus ora,
Andrea ô patriæ RODE dolende tuæ.
Sed postquam æthereâ senserunt sede receptum,
Docta Minerva, Charis, Magnus Apollo, DEÆ:
Phœbus depromsit lætum post nubila vultum,
Illustrans rutili lucida signa poli.
Amplius annè etiam patriæ Nos nomine junctum
Flebimus *Andream*, Civica Turba, *Roden*?
Quin ipsi potius cœli gratemur honores,
Illic cum multis vivit ovatq; pijs.

Atq;

Atq; ità jam vitæ peragamus tempora, eodem ut
Cum nostro fas sit vivere cive loco!

*Debiti affectus E.
addere voluit.*

SALOMON PAULI
DANTISC. BOR.,



ALIVD.

Siccine flos vegeta cadis ò speciose juventa!
Siccine spes clara magna peris patria!
Flos, homo natus, eras; qualis florens rosa, Titan
Atria cum pandit splendida, talis eras;
Vespera quum celsis vexit de montibus umbras,
Illi qui fuerat jam perit omnis honos:
Sic te vidimus, hei, te vidimus antè virentem,
Hac fecit cunctos debilitate DEVS:
Et noster cadet ille vigor, lex omnibus una est;
Nunc fuit illa tibi, cras subeunda alij.
Felix hic nimis, invenient quem fata paratum;
Invenit talite bonitate DEUS.

Dolens fecit

GEORGIUS ULRICUS.
Dantiscan. Boruss.

ALIVD.

A L I U D.

Mortali hoc certum est, & inevitabile fatum,
Cogitur ille semel mortis adire viam.
At verò extremâ nihil est incertius horâ,
Tædia quæ vitæ linquere longa jubet.
Et via non una est, non omnibus invida Parca
Unum permittit mortis obire genus.
Tu quoq; non trito subiisti tramite mortem,
O spes una, RHODI, delitiumq; meum.
Lux erat, & vultus nondum Sol texerat umbris,
Cum pluvix cœlo præcipitantur aquæ.
Ignibus æthra micat, rauco reboatq; tumultu,
Tuq; RHODI, sævo fulminis igne peris.
Nescio naturæ sistit Sol ordine cursum,
Attonitus casum seu stupet horribilem.
Sic placuit IOVÆ, qui pro sapiente gubernat
Consilio miris agmina sancta modis.
Samsona prosternit labens domus impete magno,
Ense tyranni insons turba tenella cadit.
Baptistes cœlum scandit cervice resecta,
Fulmine tu tactus cælica regna petis.
O te felicem, qui postquam *fortis* ad hujus
Saltasti vitæ cum pietate *Rhodum*,
Et mandata DEI coluisti jugiter, annos
Æternos vivens, gaudia mille capis.

Doloris testandi
e.f.

THOMAS HESIUS Mariæ-
burgensis Borussus.

ALIUD.

ALIUD.

HELL mihi quàm vehemens superi est vehementia
(Fati,
Ut nil perfectum nil maneat stabile!
Omnia pro lubitu mutatio lubrica versat,
Et cœca sortis vis violenta rapit.
Si qua dies presens concessit gaudia, rursum
Crastina perturbat, commoda mox repetens.
Exemplum nobis presentis temporis hora
Exhibet, & memores nos jubet esse DEI.
Dum jacet ante diem properatâ morte peremptus
Flos juvenum eximius Pieridumq; decus.
Qua non hinc cura surgunt? quæ vulnera mentem
Excruciant? luctus nescit habere modum,
Horrescens animus divini Numinis iram,
Peccati veniam voce animoq; petit.
Sed cessent cura, ponamus corde dolorem,
Quem nos defuncti ponere VITA jubet.
Vivit ovans, curis, languore solutus & omni
Vivit, & in cœlo gaudia mille capit.
Quò jam pervenit, populus pius omnis anhelat,
Cum Christo solum vivere & esse cupit.

Dolente animo
adjecit

Joachimus Olhavius Dantiscanus
Borussus.

ALIUD.

ALIVD.

Genius alloquitur Viatorem.

- G** **Q**ui transis suspende gradum, te pauca doce-
(bo,
Ne tua pertentet frigidus ossa timor.
V. Hem quis hic est genius, niveo vestitus amictu,
Audens currenti dicere; siste gradum.
G. Naturæ lex est: Genitum moriatur. At illam
Exsolvi & mortis regna superba tuli.
Naturæ autoris sunt jura: Sepulta resurgant,
Hoc faciam, atq; meâ carne videbo DEUM.
V. Quis jacet hoc tumulo? **G.** Musarum fidus alumnus,
Qui virtutis amans & pietatis erat.
Quiq; bonis charus vixit, nullique molestus,
Fulmine prostratus, tristia fata subit.
Interea capient hic mortua membra quietem
Dum tuba supremum dicet adesse diem.
V. Ergò fero votum hoc, ut tecum corpore, quando
Ultima lux veniet, cœlica regna beent.

lugens apposuit

Samuel Salomon Dan-
tiscanus.



Epitaphium

EPITAPHIVM.


AMBAGIBUS NON EST OPUS
MULTIS; VIATOR OPTIME,
HOC IN SEPULCHRO MORTUA
NIL PRÆTER OSSA RODII
CUBANT, DEUS MENTEM SIBI
SUMMO RESERVAT IN POLO.


ABI VIATOR OPTIME,
CUM DIXERIS MECUM PRIUS;
*NE RODIO TELLUS GRAVIS
SIS, ILLE NON TIBI FUIT!*

F.

Mœrens Relictus.







Ja 666

ULB Halle 3
002 177 021




5b-700

Von 7

MC







18

UMÆ

ENICÆ

ber

hac vitain cœ.

m discessum,

Etis. Juvenis,

EÆ RODE,

:LL. Studiosi,

ui

DOLOR!

aviore trajectus

bdormiis

tis flore

l. Jun.

N I

XXII.

andi ergo

usæ

NCTI

US ET CIVIBUS.

na, quis abi

ulmen ab astris.

ar. 1. 6. 224.

eris

annianis.

